



maiores copiam introrsus trudendo, pectori inimicum fit, et foemora laedit. Quilibet denique olentibus particulis impraegnatus aer, ob perpetuam, debilique grauidae corpori minus conuenientem neruorum irritationem, in eandem culpam incurrit, ac mephiticus: vnde patet, olea aetherea, omniaque odorifera, quibus crines, pectus, &c. inungi luxus iubet, noxia, et ob neruorum nimiam excitationem esse periculosa.

*Cibus et potus.* Post aeris, vix alius rei earum, quae *non naturales* audiunt, moderamen maiorem attentionem exposcit eo, quod ad victum pertinet, in quo vix non omnes grauidae maxime peccant, etiamsi nullo alio morbo, picam vel malaciam puta, de quibus postmodum, laborant. Aliae enim nimia voracitate, ex acrimonia acida mulieribus ob laxitatem partium solidarum, bilemque fere semper aquosam, nec rite amaram propria, oriunda, totum fere primarum viarum canalem adeo infarciunt, vt foetu grauidus vterus extensionis fere nullum reperiat spatium. Aliae, in contrarium vitium ruentes, nimis quidem delicatulae, ex trutiniae lance cibos sumunt, immo victum sibi detrahunt, sic embryonis incolunitati, vt credunt, egregie prospicientes. Ast vero videndum vtique est, ne quid nimis. Nutriri quidem femina vtero gerens vt et lactans debet, nullo modo vero saginari. Defectus nutritionis contra, virium in partus et lactationis negotio maxime necessariorum inducit pauperiem, nullo pretio redimendam. In vniuersum itaque praegnans, sub initium grauiditatis pauco, ad concoquendum facili, tenuique cibo fruatur. Post aliquot menses, cum foetus magis magisque increfcit, maiorem quidem ciborum quantitatem sumat, attamen caueat, ne vna vice multum edat, quam malam consuetudinem saepissime obseruauit. Vulgo enim, sed falso, creditur, grauidam duas diaetas comedere oportere, quoniam infantem nutriat. At vero praestat parum vna vice edere, saepiusque repetere prandium. Quod ad ciborum delectum attinet, vtendum est leuioribus, tenerioribus, nutrientibus, et quae facile digeruntur. Euitanda autem omnia, quae solidas partes nimis irritant, sanguinem exaestuunt, inque nimium cieant motum.

Quo